

VASA MISNICA MVRBINIS

VETERVM

COMPARAT

ATQVE

ORATIONES
VALEDICTORIAS

D. VII. MAII A. R. S. clō 15cc LIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE HABENDAS

INDICIT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS

RECTOR.

D R E S D A E


PRÆLO IOANNIS GYLIELMI HARPETERI.

ist. miscell.

288,44

ge

14



Ad mirificas illas amcenitates, quibus Misna, superba illa gratiæ divinæ sedes & agrorum fœcunditate, & montibus vitiferis undique suaviter cincta super alias patrii soli urbes multum sane eminent, iure nostro eam quoque referimus officinam, in qua pretiosissima, quæ Porcellanæ vocantur, vasa, elaborantur, elaborata adfabre scienterque finguntur, fictaque tam artificiose pinguntur, vt dubium omnino sit, utrum operis subtilitatem atque munditiem, an picturæ magis formam, raritatemque ac nitorem demiremur. Ex quo enim, suadente Tschirnhufio immortalis, Bættigerus, in his excogitandis suam collocavit operam, dies diem ita docuit, vt nihil fere benefica natura suo in sinu foveat, quod non ex argilla hac longe elaboratissima fingendo exprimat artifex, colorumque elegantia & subtilitate, politissima quidem arte describat. Factum inde est, vt, quemadmodum veteres Romani tam ad magnificentiam ædium augendam, quam ad convivia procerum ornanda utebantur murrinis, nostra luce nemo fere adeo aere sit destitutus, quin vasis Misnensium fictilibus eorumque dulci adspectu convivarum pascat oculos. Quinimo non defuerunt summi in republica litteraria viri, qui hæc nostra aliquam ob formæ ac usus similitudinem ipso murrinorum nomine insigniverunt, nec quicquam aliud iisdem, nisi factitia hæc, a Romanis expressa esse voluerunt. Quorum errorem quamquam tam solide repressit doctissimus a) Christius, acutissimus harum rerum investigator, ut quemque sibi habeat facile consentientem: non iniucundum tamen erit, nec a studiis & sensu civium misnensium alienum, nostra componere cum Romanis, quum deperditis murrinis, Misnica eodem pæne loco & pretio habentur, iisdemque usibus in augenda principum magnificentia inferviunt.

Murrina, veterum in monumentis frequenter celebrata, ex Oriente primum Romam invexit tertius M. Pompeji triumphus, quem de pi-
ra-

a) v. ejus disquis. de Murrinis veterum Lipsiæ c 10 10 c c. XXXXIII. edit.

ratis, Asia & Ponto, M. Pisone & Messala Coff. ab U. C. Ioc LXXXII. egit gloriosissime. Fufius hæc docet b) Plinius, cui, quicquid ea de re confidentius dici potest, inprimis acceptum ferimus. Sicuti enim heroës Romani, superatis hostibus, quæque pretiosa avide corradebant, quæ reduces facti ad pompam triumphi ornandam adhibere poterant: ita Pompejus præter coronas ex Margaritis, vasa ex auro & gemmis, signa Deorum aurea & alia, quæ Plinius enumerat uberius, murrina quoque pocula maximique pretii capedines secum attulit, quæ illo ex triumpho Jovi Capitolino dicavit. Ibidem certiores nos reddit, plurimis nec insignibus Parthici regni locis & in Carmania potissimum hæc esse inventa. Neque murrina tantum, sed quod fugit neminem, & ea ad nos ex Sinensium oris primum misit Oriens, quæ c), Lusitana voce Porcellanæ ubique nuncupantur. Si Gallo illi, Christianæ doctrinæ apud Indos præconi d) d'Entrecolleo, fides habenda est, jam principe Teferes moderante, seu A. R. S. C. C. C. XXXII. vasa hæc sumtuosa in usum imperatoris sunt elaborata. Colligit tamen ex quibusdam Sinensium annalibus, ea inventionem multo esse antiquiora. Præter Sinensium terras & alia Orientis loca, Persia quoque, antiqua illa Carmaniæ sedes, vel nostra luce fictilibus quibusdam vasis nobilitari feruntur, nec munditie nec elegantia inferioribus. Celebrant in his pagum Zoroande eam ob rem, qui itinerum in hanc terram factorum descriptiones emisserunt in lucem. Quæ locorum confinia eo perduxerunt forsitan viros e) Cardanum secutos, ut murrina veterum figulina fuisse sibi persuaferint. Recentiori ætate Itali in fingendis Faventinis, Hispani Majoricis nec non Galli in excogitandis his vasis omnem locarunt operam, donec tandem & ingenio & felicitate soli saxones reliquas Occidentis gentes longe superarunt.

A 2

Ma

b) Hist. Nat. L. XXXVII. c. 2.

c) Sunt, qui Porcellanas ab herba portulaca vel a quodam concharum genere nomen fortitas esse volunt. Id certe constat, Lusitanos hac voce scutellam exprimere, per quorum commercia a feribus primum vasa æque ac denominatio ad nos est perlatæ. Quo nomine apud feres celebrentur, in diariis Trevoltinis a 1717. Mens. Jan. 39. seqv. exponitur.

d) v. XII. Recueil des Lettres edificantes & curieuses de Missionnaires, quæ etiam l. c. in Diar. Trevolt. leguntur.

e) v. libr. de Subtilitate L. V.

Magis adhuc in diversum traxit litteratos viros subdifficilis quæstio, figulina ne fuerint murrina, an gemmeis potius annumeranda sint. Prius f) Cardanus, uterque g) Scaliger, Salmasius aliique h) Propertii maxime auctoritate permoti docuerunt, qui: *Murreaque, in Parthis pocula cocta focis.* Posterius i) Christius doctissimus tanto argumentorum & eruditionis apparatu suffulsi, ut & Plinium Propertio commode non solum conciliet, sed & k) Senecæ aliorumque gravissimis, quæ sollicitè collegit, testimoniis sententiam suam corroboret. Medius quasi inter utrosque stat l) Vossius, qui murræ quidem lapidis fuisse genus concedit, sed murrina ex murræ lapide probe contrito aquisque macerato enata adeoque fictilia fuisse addit. Nostra ex luto purissimo, emendatissimoque ac percolato formari ignibusque subiectis coqui nemo est, quem vel primo aspectu latere possit. Quæcunque enim alii m) ridiculo modo ea de re commenti sunt, vix digna putamus, quæ recenseantur. Ex iis, quæ d'Entrecolleus ille de Sinensium vasis affert, id quoque notari meretur, esse quoddam genus vasorum apud eos, quod ex lapide bene contrito puriusque eluto coquatur. Quæ si sua constant veritate, quodammodo propius accedunt iis, quæ Vossius de murræ lapide, eiusque destructione in coquendis murrinis veterum docuit.

Quantacunque etiam murrinorum hæc est fictiliumque differentia, non subobscurè tamen Misnica hæc nostra testatum faciunt, quam feliciter ars naturæ assequatur dignitatem, eiusque fingendo exprimat elegantiam. Prædicat multa præclare de murrinis n) Plinius, miraturque colorum varietatem subinde circumagentibus se maculis in purpuram atque candorem. Laudat in iis maxime extremitates & quosdam colorum

f) l. c.

g) de subtil. ad Cardanum exercit. XCII.

h) L. III. Eleg. VIII. v. 22.

i) l. c.

k) de Benef. L. VII. c. 9.

l) in Etymol. verb. Murra nec non de Vitiis Ser. L. VI.

m) v. Athan. Kircherum in China illustrata P. IV. C. XI. p. 208. Referenda huc sunt figmenta quorundam & ipsius Scaligeri, qui l. c. vasa hæc ex ovorum putaminibus & conchis confici arbitratur, quarum species cum porcellanæ sint, inde nomen hoc iisdem inditum esse perperam perhibet.

n) l. c. p. m. 729.

rum repercussus, quales in cælesti arcu spectantur. Describit eorum sales verrucasque non eminentes sed ut in corpore etiam plerumque sessiles. Eodem nomine ad maculosæ pocula murræ picta non artificis quidem manu sed naturæ artificio provocat o) Martialis. At quid horum est, quod non in Misnicis tam cumulate, tamque convenienter naturali pulchritudini expressum conspiciatur, ut, quantum splendoris accesserit Romanorum conviviiis murrinorum usu, tantum omnino jucunditatis & magnificentiæ ædibus, tabulisque ac rebus principum nostrorum iisdem conciliari videatur. Sive enim munditiem, subtilitatem materiæque fingendæ rationem, sive modos formasque rerum ad naturam scite excogitatas, nec non cocturam, sive colorum gratiam & varietatem levissimosque linearum ductus, sive tandem figuras eminentes & quasi sessiles & auro artificiose ornatas acanthisque fimbriatas extremitares curatius contemplamur: parum aberit, quin nostra chrysendetis, thericleis, murrinis, aliisque pretiosissimis veterum vasis comparemus, murræque detrimentum, quæ injuria temporum deperiit, Misnicorum arte resartum arbitremur ac reconcinnatum.

Quæ de murrinis asserit p) Plinius: *Murrina & crystallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est, habere, quod possit totum statim perire; hæc aliqua ex parte quidem in nostra quoque conveniunt. Vincunt tamen firmitate & duritie non sinica tantum sed vel veterum murrina. Sinica enim memini, cum Lipsiæ quondam viri harum rerum peritissimi admoto speculo ustorio, duritiei ceperint experimentum, tantæ non fuisse contumaciæ, quin brevi temporis spatio diffluxerint; longe autem probatiora fuisse misnica euentus docuit. Murrina vero tam tenera tamque fragilia fuisse testatur q) Plinius, ut dentibus etiam obrodi potuerint. Potavit ex eo, inquit, (scil. murrino) ante hos annos consularis ob amorem obroso ejus margine, ut tamen injuria illa pretium auget; neque est hodie murrini alterius præstantior in-*

o) L. X. ep. 80.

p) in procem. L. XXXIII. p. 648.

q) l. c. p. 729.

dicatura. Idem in reliquis generis ejus, quantum voraverit, licet existimare ex multitudine, quæ tanta fuit, ut - - - theatrum peculiare trans Tiberim orcis exposita occuparent, &c.

Uti natura, fœcunda rerum mater, tam parca est in formanda gemmarum cuiuscunque generis quantitate, ut vix sufficiant exornandis, ne dicam excavan- dis vasculis: ita murræ lapides nunquam ultra magnitudinem eam exfurgebant, qua ad potoria extorquenda opus erat. Ita Plinius ingenue fatetur, murrina nusquam parvos excedere abacos, crassitudine raro, quanta dictum est, vasi potorio. Quo maior vero in fictilibus cuiuscunque generis fingendis relicta est libertas artificum ingeniis: eo facilius Misnica nostra & magnitudine & formarum varietate & erudita massæ tractatione Parthica hæc exsuperarunt, idque ingenio fingendique facilitate compensant, quod illis deest pretio, adeoque in causa est, ut infra gemmata & geminea multum esse putentur. Hinc non potoria tantum, sed quæque fere docta manu his ex munditiis Misnæ fingit artifex, quæ pulchritudine quadam ex naturæ gremio exfurgunt miracula. Hinc vel Hermathenas, Hermeraclas & alia ingeniosæ antiquitatis monumenta, quibus Roma superbire solebat, ex terra hac formatas cernimus. Nec quisquam vasorum horum apparatus, qui asservatur Dresdæ vel Misnæ, curatius contemplatur, quin rapiatur aliquam in admirationem.

Commune hoc est pretiosis rebus fatum, ut, quo plaris æstimantur, eo frequentius adulterentur, adulteratæque pro genuinis distribuantur. Nihil est, quod misnica argumenti loco in medium proferamus, cum multis in locis coquantur jam vasa, nostris quamquam non æqualia, aliqua tamen ex parte ad finia nec prorsus absimilia. Idem quoque murrinis accidisse ex singulari horum vasorum multitudine colligitur, qua jam Plinii tempore quæque romanorum arcæ erant completæ. Arridet nobis potissimum r) celeberrimi Christii sententia, qui gravioribus, ut solet, argumentis evincit, multum interesse inter murrina & murrea, quorum illa, quæ nascerentur, murræ ex lapide excavata, hæc vero factitia, ad imitationem murræ igne cocta fuerint, sicuti reliqua vitra gemmas aemulantia. *Adjuvat hanc nostram suspicionem, inquit, quod conjungit cum mercibus Thebanis, quas fere constitisse ex arte factis Arriani locus quodammodo arguit; adjuvat item, quod τὸ pocula addit. Istud autem, quemadmodum & calicis vocabulum, non sæpe conjungi cum murrinis solebat, sed cum murreis. Nam murrina frequentius simpliciter, non addito vasis potorii nomine dicebantur.*

alia

r) l. c. p. 4. & 5.

alia quoque verisimilitudo, quæ vera murrina, quorum usum vix Augustus haberet, aliis plerisque eorum temporum Romanis sine dubio negat. &c. Quæ cum ita sunt, quid obstat, quo minus Propertii locum de fictilibus, ad modum misnicorum factis & coctis, interpretemur. Rectius itaque & maiori iure misnica, ut arte facta, eam propter similitudinem murrea erunt vocanda, quam murrina, quod tamen a lexicographis plerumque fieri, inter omnes constat.

Quod murrinorum pretia insigniter auxit, est aliqua, ut cum Plinio loquar, in odore commendatio. Eodem consilio murra caldariis vasis efficiendis adhibita fuisse videtur, quod virtute quadam vini fragrantiam fervandi instructa, sapidiore faceret odore suo liquores. Ita enim s), Martialis: *si calidum potas, ardenti murrha falerno convenit, & melior fit sapor inde mero* Sine dubio murræ ex odore commendatio quosdam eam abduxit in opinionem, ut perperam sint arbitrati, vasa hæc ex ejusmodi argilla fuisse confecta, quam myrrhæ odore infecerint. Solebant enim veteres figulina sæpius aromatibus subacta fingere, ut commendationis aliquid vino cibusque conciliaretur. Commemorat t) Rhodiginus uberius, ejusmodi vasa ex Copto potissimum advecta, inde coptica etiam dicta fidelia, myrrha, junci flore, croco, balsamo cinamomo esse infecta. Nostra quanquam haud spirant odores, propter mellium tamen colorem & munditiem ubique locorum caldæ hauriendæ convenientissima videntur, adeoque cum crebro caldæ usu, qui mirifice inualuit, omnes fere peragrata sunt Europæ tractus.

Cæterum pervulgata apud Romanos res fuit, non auro, non argento, non murrinis lætari Deos, sed fictilibus. Et fictilem Jovis Capitulini fuisse effigiem auctor est v) Plinius, & inter summas opes eidem fictilibus prolibabatur simpuviis. Ex multis testimoniis, quæ y) Tiraquellus ad Alexandri ab Alexandr. Dies Genial. collegit, unus prodeat z) Juvenalis, qui: *Hanc rebus Latii curam præstare solebat fictilis & nullo violatus Juppiter auro.* Nec mortalibus tantum, sed Diis immortalibus, inque eorum ordinem relatis probari fictilia hæc communis Sinensium est superstitio. Ita enim religiose colunt Seres in vasis his fingendis occupati, singulare quoddam Numen, quod Panfa vocant, cu-

s) L. XIII. ep. 113.

t) L. XXVII. c. 27. Lect. Antiqv. p. m. 1532. Ex hac opinione deducendum videtur, quod nonnulli murrhina magis quam murrina scribere maluerint.

v) L. III. c. 12. it. Seneca ad Lucull. epist. III.

y) L. III. c. 17. p. 560.

z) Juv. Satyr. II. Pari consilio Cicero in Paradoxo I. c. 2. Quid a Numa Pompilio, minusne gratas Diis immortalibus capedines & fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur.

ius præsidio fictilia hæc perfectius succedant, id quod sæpino jam laudatus ille a) d'Entrecolleus copiose exponit.

Præter hanc vero vasorum fictilium officinam officinarum quoque sapientiæ felicitate suo jure lætatur Misna, in quibus adolescentum ingenia formantur, artiumque ac doctrinæ cælestis præceptis ita poliuntur, ut tanquam gratiæ divinæ vasa aliquando rei publicæ usui esse possint. Quæ quidem artium politura præparati prodeunt jam ex litterarum seminario nostro ornatissimi adolescentes. Quorum alter

CHRISTOPHORVS DANIEL GVNTHERVS, Zscheyla Misn.

jam inde a pueritia in disciplinam Misnæ traditus, honestissimo animo, probissimisque moribus in quolibet scientiarum genere, quibus impertiri solent juvenilia ingenia, egregie effloruit. Felici connubio cum studiis, quæ ab humanitate nomen ducunt, & Musices & gallicæ linguæ conjunxit culturam, jam vero, curriculo scholastico finito, Lipsiam abiturus sanctioribus se disciplinis consecrabit. Ante discessum vero carmine teutonico celebrabit *Numam in antro* ad Livii loc. L. I. C. XXI. gallica oratione scholæ valedicturus. Alter vero

FRIDERICVS LOBEGOTT WINTZERVS, Nauendorff. Misn.

patre plurimum reverendo de sacris & cœtu Nauendorffensium meritissimo, fausto fidere natus, optimoque pietatis parentum exemplo excitatus, ea primum usus est felicitate, ut a viro summe venerabili M. Martio, cujus & in nos nostramque scholam favorem singularem & egregia de civitate sacra promerita pie osculamur, linguarum & artium rudimentis imbueretur. Filium illud, quod fausto auspicio erat exorsus, ita feliciter pertexuit nostra institutione usus, ut jam bono cum Deo altioribus philosophiæ & juris civilis studiis Lipsiæ se dedere queat. Græca itaque lingua supremum scholæ dicet vale, præmissa oratione latina, quæ exponet, *quam superstitiosis cæremoniis Romani reipublicæ salutem quondam amplificaverint.*

Adolescenti autem pereximio, votorum scholæ interpreti **ABRAHAM CHRISTIANO LEBERECHT HEDRICH, Zabeltitziensis**, qui laudabiliter spem sustinet & expectationem, in quam indefesso studio pioque obsequio suo & nos & prænobilissimum patrem, amplissimum fautorem nostrum dudum adduxit, data est provincia, ut oratione prorfa latina commonstret, *principes Lutheri doctrinam amplexos non injusto quodam beneficia sacra ad se rapiendi studio, sed piis potius consiliis ad Sacrorum restaurationem promovendam esse adductos.*

Utriusque vero reipublicæ apud nos amplificatores & litterariæ Misnæ cives, ut dicentibus & bene precanti præsentibus adsint & benevoli, enixe optamus, rogamus, obtestamur. PP. Misnæ Ipsis Calendis Majis c1010cc1.1111.

a) l. c. ubi plura de hoc Numine, Porcellanarum patrono ejusque cultu religioso tradit.

